Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-628605-p0001-4

Taubmann. approbatum semel reprobari non potest 148. 57

quod semel placuit amplius displicere non debet 22g. num. 4.

DISPUTATIO JURIDICA
De
CONTRACTU
COMMODATI.
Quam
AUSPICIO DIVINÆ MAJESTATIS
Authoritate & Consensu
Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi JCtorum Ordinis in celeberrima ac florentissima Wittenbergensi Academia
SUB PRÆSIDIO
Prænobilis, Amplissimi, Excellentissimi & Jurisconsultissimi Viri
DN. GOTTFRIDI SUEVI,
J.U.D. & P.P. Celeberrimi, Curiæ Electoralis, Facultatis Juridicæ, ut & Scabinatus Assessoris gravissimi, Patroni ac Fautoris sui summa semper animi observantia deve nerandi
Strenuis LL. Cultoribus examinandam publicè proponit
AUTOR
JOANNES CHRISTOPHORUS PISTORIUS,
Dinckelspülensis Svevus.
Ad diem Junii
In Auditorio JCtorum

WITTEBERGÆ
Literis exscribebat Johannes Röhnerus, Acad. Typogr.
M. DC. LII.

64 Abn.
6 9R
XXXIX

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DN. JOHANNI GEORGIO

Duci Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Sacri Rom. Imperii Archimarſchallo & Electori, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, & utriusq; Luſatiæ: Burggravio Magdeburgi, Comiti Marcæ & Ravensburg, Dynaſtæ in Ravenſtein &c.

ut &

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DN. JOHANNI GEORGIO

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Duci Electoralis dignitatis Hæredi, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ & utriusq; Luſatiæ; Burggravio Magdeburgi Comiti Marcæ & & Ravensburg, Dynaſtæ in Ravenſtein &c.

DOMINIS MEIS CLEMENTISSIMIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-628605-p0004-1

1803.

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPES, Domini clementisſimi &c. Inter ea quæ VVrum SERENISSIMARUM CELSITUDINUM Majeſtatem in toto terrarum orbe, coruſcantem maximè conſpicuam, illuſtriſſimamque reddunt, non minimum eſt provida illa & paterna veræ Religionis Lutheranæ ſincerè conſervandæ propagandæq; cura, quæ etiam ipſis hoſtibus huic Religioni offenſiſſimis ad invidiam usq; innoteſcit quotidiè, dum experiri coguntur non aliquos ex infimis ſubſelliis verum ſummæ authoritatis eruditionisq; apud eos qui fuerunt Viros, fucatæ illi, & ex peſſima Phariſæorum doctrina, variisq; ingenii humani figmentis conſutæ Religioni nuntium remittere, ſeſeq; præprimis in Saxoniam, puræ ſinceræq; reſtauratæ Chriſtianæ veritatis Patriam ac Aſylum, Quod Deus TerOpt. TerMaximus perpetuum ipſi faxit, conferre, in eaque recipi, & illis affici beneficiis, quæ vix quidam ſibi promittere potuiſſet. Ego qui (proh dolor) in plusquam Cimmeriis tenebris Papiſticis natus educatusq; ſum & per 17. & quod excurrit annos ſeveram in fœtidis noſtri ordinis clauſtris vitam ſpe vitæ æternæ non mihi tantùm, ſed & aliis acquirendæ tranſegi: jam per Dei gratiam Luce veritatis divinæ adactus ex lacunis illis emerſi & Pontificiæ Religioni in totum renunciavi, illamque deteſtor penitus. Quamprimum verò divitis potentisq; Saxoniæ oras attigi, ſtatim mollem renidentis fortunæ faciem contemplari conceſſum fuit: unde ſpem certam ingrediebar, fore, ut hæc ipſa mihi quæ aliis ex papatu exeuntibus

non denegavit, largiter conceſſura ſit. Neq; ſpes me fefellit VV^rum enim SERENISSIMARUM CELSITUDINUM liberalitate nunquam non deprædicanda in alma Leucorea, in qua Antichriſti Papæ tum temporis in ſummo poſiti doctrina à Megalandro Luthero ad hoc reformationis opus ſingularibus à Deo inſtructo donis publicè primitus refutari cœpit, usq; dum vixi; cujus vitæ meæ V^æ Munificentiæ beneficio adſcribendæ rationem ſpecimine quodam diſputatorio declarare; illudq; ad V.V.^rum SERENISSIMARUM CELSITUDINUM pedes humillimè deponere, debita gratitudo jubet. Ea qua par eſt humillima ſubjectione, peto, contendoque ut SERENISSIMÆ VV.^æ CELSITUDINES hoc quidquid eſt, quod parum, aut nihil, neque ut offeratur dignum, gratioſe aſpicere non graventur, quin potius me ut ſubjectiſſimum, & ad quævis officia ſervitiaq; promptiſſimum ſervum recipere, ſumma illa gratia ulterius proſequi, munere quodam in quo honeſtè vivere & fidelitatem meam ſubjectionemq; VV^is SERENISSIMIS CELSITUDINIBUS exponere poſſim, clementiſſimè beare velint. Ego VV^as SERENISSIMAS CELSITUDINES, illuſtriſſimamque totam familiam Saxonicam ut debeo, ita Votis, devotisque precibus me nunquam non Deo commendaturum ſancte promitto.

VV^rum Serenisſimarum Celſitudinum

Subjectiſſimus

Joannes Chriſtophorus Piſtorius

Dinckelſpülenſis Suevus; quondam in Provincia Auſtriæ S. Franciſci Ord. Capucinus, Sacerdos & Confeſſionarius privilegiatus.

1805.

I. N. J.

Proœmium.

NOta & tritissima est illa obligationum omnium summa divisio à causa efficiente remotiore desumpta, quá aliæ civiles dicuntur, aliæ Prætoriæ. §. 1. *Instit. de obligat.* Civiles, quatenus id vocabulum non juri naturali & gentium, ut alibi, sed Prætorio opponitur, sunt, quæ aut legibus constitutæ, aut certo jure civili comprobatæ sunt, sub quibus tamen etiam illas comprehendimus quas Prætor, cum jam jure civili introductæ essent, approbavit. Prætoriæ obligationes sunt, quas Prætor ex sua jurisdictione constituit. *d.* §. 1. quæ etiam honorariæ vocantur: perinde ut jus ipsum prætorium honorarium vocatur: quod ei juri qui honores gerunt, id est Magistratus autoritatem dederunt §. 7. *instit. de J. G. & C.* Sub prætoriis obligationibus etiam ædilitias contineri, constat ex §. 2. *instit. de stipulat.* Alia & à causa efficiente propinquiore desumpta est obligationum divisio, quâ alia ex contractu aut quasi ex contractu: aliæ ex maleficio aut quasi ex maleficio oriuntur. §. 2. *instit. de obligat* Cum enim iniqvum sit aliquem sine facto suo obligari: ideo necesse est, ut factum hominis accedat, vel contrahendo, vel delinquendo: Et contrahendo quidem, cum variis modis factum hominis intercedat, ita ut pro forma sua vel res simul interveniat, vel verba, vel literæ, vel consensus: Inde nimirum quadruplex illa recensio obligationum ex contractu: quod aliæ re contrahantur, aliæ verbis, aliæ literis, aliæ consensu *d.* §. 2. Reales dicuntur Contractus in quibus intervētus rei adeò necessarius est, ut nisi præsens accesserit, realis contractus nondum celebratus esse dicatur. Species contractuum realium quinquè recensèt Imperator *in pr. & tit. instit. quib mod. re contrab. obligat.* Mutuum, Indebitum solutum, (quod & certo respectu in speciem quasi contractus incidit. §. 6. *instit. de obligat. quæ quasi ex contract.*) Commodatum,

1806.

DATUM, DEPOSITUM & PIGNUS. Nobis in præsentiarum saltem de contractu COMODATI disputare decretum est. Ideo invocato primum omnium Divini Numinis auxilio definimus Commodatum.

Thesis I.

Commodatum est contractus bonæ fidei re initus in usum gratuitum, eumque certum concessa, ita ut ea ipsa res tempestive restituatur.

Th. II. Commodatum, ut antea diximus ex eo genere contractuum est, qui re, id est traditione rei perficiuntur §. *item is cui res aliqua instit. tit. quib. mod. re contrah. oblig. l. 2. §. is quoq; ff. de obligat.*

Additur autem in definitione contractus commodati, quod sit bonæ fidei: quia in eo fit condemnatio ex bono & æquo, etiam ultra id, de quo nominatim actum aut conventum erat inter partes *l. quia tantundem 7. ff. de Negot. gestis.* ad differentiam contractuum stricti juris, in quibus condemnatio fit strictè, secundum ea, quæ in conventione dicta & nuncupata sunt: Ideo actio commodati expresse bonæ fidei actionibus annumeratur *in §. actionum. 28. instit. de action.*

Th. III. Dicitur in Definitione quod Commodatum detur in usum. In usum dum datur, eo ipso commodatum differre liquet, tum à Mutuo, quod non in usu saltem rei alienæ; verum in usu rei propriæ, adeoq; & in abusu consistit: Ita enim in Mutuo dantur res, quæ pondere numero & mensura constant, ut accipientium fiat. *pr. instit. quib. mod. re contrah. obligat.* Adeoq; cum Dominus fit qui mutuo accepit, re sua non uti tantum, sed & abuti potest. Alia ratione dum commodatum, utendi gratia vel ad usum datur, differt idem tum à Deposito, quod non ad usum, sed custodiæ gratia datur §. 3. *instit. d. tit.* in tantum, ut furtum committere dicantur, si & creditor

ditor pignore & Depositarius re deposita utatur §. *6. instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur.*

Th. IV. Definimus ulterius Commodatum & circumscribimus, quod usus in Commodato debeat esse primo gratuitus: 2. Certus: ob prius illud differt à Locatione in qua quidem res aliqua fruenda datur, pro certa tamen mercede. *pr. instit. de locat. & conduct* ob posterius differt à Precario, in quo usus rei nec modum, nec tempus habet, sed revocari à concedente pro lubitu potest. *l. 1 & 2 ff. de precario.* Unde & Commodatum appellatum est, quasi cum modo datum *Wesemb. in Parat ff. commodati n. 2.* id est, ne repetatur nisi expleto usu & modo: alioquin importune repeteretur, & cum damno Commodatarii, qui non tam adjuvaretur quam deciperetur beneficio quod fieri minimè oportet. *l. 17. in commodato. §. 3 sicut in ff. commodati.* Et hic valet regula juris. Nemo potest mutare consilium in alterius injuriam. *l. 75 ff. de Reg. jur.*

Th. V. Additur denique in definitione, quod in Commodato eadem ipsa res, nimirum in specie quæ commodata est, sit restituenda: & quidem tempestivè, id est finito illo usu, ad quem à Commodante data erat. In specie autem dum restitui dicitur, convenit in eo quidem cum Deposito & Pignore: sed à Mutuo differt, in quo non eædem res, verum aliæ ejusdem naturæ & qualitatis redduntur. *pr. instit. quibus mod. re contrah. obligat.*

Th. VI. Contrahere commodatum possunt, qui & consentire. Contractus enim in genere dicitur conventio duorum vel plurium; quæ conventio sine consensu expediri non potest. Unde ab hoc quoque contractu removebimus eos qui consentire non possunt: quales furiosus mente captus, impuberes & pupilli, qui sine Tutoris autoritate commodatum accipientes efficaciter non obligantur, nisi quatenus locupletiores facti sint. *l. 1. §. ult. l. 3. pr. ff. commodati.* nisi item doli vel culpæ capax, veluti pubertati proximus, commodatum acceperit, & in commodato dolum aut culpam admiserit. *l. 1. §. ult. ff. d. tit. facit l. 1. §. an in pupillum. ff. de petit. hæred.*

Th. VII.

1808.

Th. VII. Res quæ in Contractum commodati veniunt sunt non solum mobiles, ut equi, servi; & immobiles, ut agri, domus; sed etiam corporales & incorporales *l. 1. §. in fine ff. commodati.* v.g. Habitatio quæ est servitutis species: omnis autem servitus est jus quoddam, & omne jus est res quædam incorporalis. Etiam in numerata pecunia consistere potest commodatum si scilicet ea accipiatur quasi corpus non quasi quantitas, ut ea utamur non abutamur, *Cujac. libr. 11. observat. cap. 37.* Veluti si pecunia ad pompam & ostentationem commodato alicui detur. *l si ego pecuniam 18 §. ff. de rebus creditis.* Res enim quæ usu consumitur commodari non potest. *l. 3. §. non potest ff. commodati.* unde à Mutuo distinguitur, in quo usus sine abusu esse nequit, & tantum in Numero, Pondere & mensura consistit. *l. 2. §. 1. ff. de reb cred. §. instit. quib. mod re contrab. l. 1. §. 2. ff. de obligat. & act.* Neque id est de essentia, ut Commodans rei Dominus sit, cum & alienam rem, quamvis malæ fidei quis Possessor sit alteri commodare possit. *l. commodare 15. cum. l. seq. ff. commodati.* Unde & fur, rem, quam furto detinet, alteri commodare potest; & contractus iste mutuam quoq; obligationem parit.

Th. VIII. Forma commodati in quibus consistat, jam ante ostendimus nimirum in usu gratuito & certo rei, quæ in eadem specie restituenda est. Nam ut commodatum sit necessum est, ut res utenda detur. *§. idem is cui res instit. tit. quibus mod. re contrab. obligat.* Et quidem gratuito: Si verô merces interveniat, commodatum amplius non est, sed Locatio & Conductio *d. §. item is cui res vers. commodati autem. instit. quib. mod. re contrab. obligatio. l. si ut certo. § rem tibi. 12. ff. commodati.* Usus autem certus esse debet, ut dictum est: quare si Commodatarius rem in alium usum, quam cujus gratia utendam accepit transferat, furtum committit (quia furtum committitur vel in ipsa re, vel in possessione rei, vel in usu rei) & locum habet vel actio Commodati, vel furti *l. 5. sint certo 8. ff. commodati. & l 76. qui re sibi commodata §. 1. ff. de furtis.* Patitur tamen hic casus limitationem: si quis v. g. sciat, vel rationabiliter præsupponat, Dominum rei non contradicturum, imò approbatu-

batùrum, ſi in alium uſum vel modum re utatur, vel utenda detur: hic enim furtum minimè dixerim *per l. allegatam d. tit.*

Th. IX. *F*inem & modum præſcribere illius eſt, qui utendum dedit, uti *Paulus in l. 17 in commodato §. eodem*.

Licet ab initio voluntatis & officii magis quam neceſſitatis ſit commodare, poſteaquam tamen commodatum eſt, non poteſt quis commodato fines præſcribere & retroagere, atque intempeſtivè rei commodatæ uſum aufferre ac pœnitere *d. l. in commodato d §. ſicut autem ff. commodati.*

Th. X. In commodato ultro citroq; contractus obligationem parit, ideo etiam ultro citroq; naſcitur actio Commodati, Directa, & Contraria. Et Commodanti quidem actio commodati datur adverſus Commodatarium & ejus hæredes, ut finito uſu res reſtituatur, & quidem ſalva & integra unà cum acceſſionibus, & quidquid interea fructuum ex re commodata Commodatarius percepit, id enim ad Commodantem pertinet, cujus etiam periculum eſt: Commodatarii periculum nullum eſt: cur ergô lucrum vel commodum ex fructu rei commodatæ ſentiat? *Weſenb. parat. ff. commodati. n. 10.* Quod ſi deteriorem reddat Commodatarius; prorſus non reddidiſſe videtur: ideoq; ſatisfaciet Commodanti, & æſtimationem præſtabit in tantum, ut ab Actore & Commodante etiam in litem jurari poſſit, perinde ut in aliis bonæ fidei judiciis *l. 3. §. 2. ff. commodati.*

Th. XI. Ut autem Commodanti actio directa, ita Commodatario contraria actio datur contra Commodatorem & hæredes ejus, ad petendum quod ſibi debetur, ſi res ante uſum expletum auferatur *d. l. in commodato 17 § ſicut in fine. l rem mihi 21. in princ h. tit.* aut vitio rei, quod vitium Commodans ſciens celarit, damnum fecerit *d. l. in rebus § item qui ſciens*; nec non ad petendos ſumptus in re commodata factos. Excipiuntur tamen cibaria, & alia quædam impendia, quæ naturali ratione ad eum qui re utitur, pertinent. *l 1. in rebus § qui poſſunt.* Datur quoq; hæc actio commodati directa & contraria utrinque adverſus hæredes Commodantis & Commodatarii. *Vid. l. ex depoſito. ff. de O. & A. l 7. ff. depoſ.*

Th. XII. De præſtationibus Commodatarii deniq; videndum eſt. Cumque bonæ fidei contractus ſit, Commodatarius naturaliter vim majorem non præſtat, nec interitum aut damnum rei caſu fortuito accidens. *l ſi ut certo 5. §. nunc videndum 9. verſ. Quod verò. l. eum qui 10. in print. l. ad eos. 19. l. argentum. 2. l. fin. h. tit.* ſed tantum ex conventione partium: quando quis pro caſu fortuito ſe obligavit, vel ſi fuerit à debitore commiſſa mora *l. quod te mihi 5 ff. de re*. aut alias culpa caſum præceſſerit. Unde ſi res culpa ejus, vel abuſu, aut negligentia, in caſum interitus, aut damni incidat, tenetur. *d. l. ſi ut certo § nunc videndum ver. quod vero. d. l. eum qui § fin. cum l ſeq. d. l. in rebus in princ. h. tit.* Idem eſt ſi Commodatarius re commodata in aliam cauſam, vel alio quam acceperat modo utatur; & res illa perierit: hoc enim caſu ad periculum & caſum fortuitum quoque tenebitur. *l. ſi ut certo. §. ſed interdum 7. ff. commodati.*

Quod autem Ulpianus ad caſus fortuitos & incendium refert, id non minimam parit contrarietatem. *vid. l. 3. § 1. ff de Præfect. Vigil. l in rebus 18 §. 1 ff. commodati. l ſi vendita 2. in princ. D. de periculo & commod. rei vend.* Attamen contrarietas hæc diſtinctione perſonarum diſſolvi poteſt: reſpectu enim ejus qui culpa vacat, incendium eſt caſus fortuitus, ſed reſpectu illius cujus culpa id factum eſt, fortuitis caſibus annumerari non poteſt. Aliud eſt ſi quæratur de incendio in ædibus exorto, quiſnam probationis onus ſubire teneatur; An inhabitans: ut probet culpam ſuam & domeſticorum abfuiſſe: An vero vicinus, vel alii qui damnum paſſi ſunt, ut probent culpam, vel negligentiam inhabitantium adfuiſſe: In qua quæſtione, quanquam maxima ſit diſſenſio inter Doctores etiam Saxonicos; ſubſcribendum tamen exiſtimamus aſſertioni, quam Wittebergenſes & Jenenſes olim tenuiſſe, & ſecundum eam pronunciaſſe refert *Rauchb p. 2. q. 68. & Virgil Pingiz. quæſt. Sax. 23.* Patremfamilias ex eo ſolo quod in ædibus ejus incendium exortum eſt, non teneri ad probandam diligentiam, ſive culpam ſuam vel ſuorum abfuiſſe; ſed Actoribus in-

incumbere, ut probent culpam ejus vel eorum adfuisse. Quid momenti habeant rationes utrinque adductæ, in discursu ipso videbimus.

Th. XIII. Ad præstationem culpæ quod attinet sciendum est; Commodatum non dolum duntaxat & latam culpam recipere, sed etiam levem & levissimam juris authoritate, eo quod solius accipientis, id est Commodatarii gratia fiat, *ut ait Ulpianus in l si ut certo 5 §. nunc videndum. ff. commodati.*

Culpa quæ nihil aliud est quam negligentia, aut prætermissio diligentiæ. *§. præterea & is Instit quib. mod. re contrah. obligat § Socius Instit. de societate l magna. ff de verb. sign. l. Socius socium 72 ff pro socio.* non tantum in faciendo, sed etiam in omittendo consistit. *l. si servum 91 ff de verb obligat.* Et est lata levis, & levissima, cui postremæ opponitur diligentia; & quidem talis qualem diligentissimus Paterfamilias præstare tenetur. *d. l. si ut certo §. nunc videndum §. usq; adeo. & §. penult. l. in rebus 18. in princ. h. tit.*

Quod autem Justinianus *in § 2. Instit. quib. mod. re contrah. oblig.* tantum exactam diligentiam dicit, ita accipiendum est non positivum, sed superlativum, id est, exactissimam diligentiam intelligi debere: ideo non simpliciter dicit, exactam diligentiam eum præstare debere, sed addit *sane quidem* exactam quod idem est, quasi valde exactam, sive exactissimam, *vid. Harprecht. ad d §. 3. Instit. quib. mod. re. n. 23. & seqq. adde l. 18 pr ff commodati. l. 21. C. mandati & in l. 1 ff. de oblig. & act.* Estque ratio, non immeritò ad exactissimam diligentiam Commodatarium teneri, cum ipsius tantum gratia & quidem gratuito id fiat. *l. 1. §. & ille quidem ff. de obligat & actionib. l. 5. §. 2. ff. commodati.*

Th. XIV. Subinde pacto & conventione contrahentium contingere potest, ut minus in contractu commodati, quam ille naturaliter recipit, præstetur; sicut & extra casum conventionis sæpè præter dolum & latam culpam, tantum levis culpa, non etiam levissima præstatur à Commodatario, si scilicet tum Commodantis, tum Commodatarii gratia contra-

1812.

ctus fiat: veluti si communem hospitem invitarint, & Commodator argentum commodaverit. *d.l. in rebus 18. in princ. vers. hæc ita ff. commodati.*

Aliquando etiam dolum & latam culpam tantum, non etiam levem & levissimam recipit. *d. l. si ut certo 5 §. interdum l. eum qui §. ult. cum duab. ll seqq. ff. d. tit.* scilicet secundum definitionem *d. l. si ut certo, 5. §. nunc videndum ff. commodati.* si libros tibi commodavero ut in mea causa consuleres. *Cujac. l. 19. observat. c. 24.*

Th. XV. Cum itaque ex contractu Commodati duæ oriantur actiones directa scilicet quæ Commodatori; & contraria, quæ (uti dictum est) Commodatario datur; Quæstio est ad quid teneatur commodans qui utendum dedit? R. regulariter tantum teneri de dolo, eo quod nulla ipsius utilitas hic vertitur, sed solius accipientis. *v l 61. si servus meus §. circa commodatum ff. de furtis.* alias ut supra dictum est ex natura contractus tenetur, tum ad liberum rei usum, de quo ab initio conventum erat; tum ad damnum præstandum, si sciens rem E. gr. Vasa vitiosa commodaverit; tum ad impensas necessarias & magnas: nam modicæ ad Commodatarium pertinent. *Vid l. 18 ff. commodat.*

Th. XVI. Quanquam autem Compensatio in re commodata locum non habeat, tanquam quantitatis cum specie; nec prætextu debiti restitutio commodati probabiliter recusetur, uti rescribunt Imperatores *in l. ult. C. commodati.* Attamen ob impensas in eam factas res commodata loco pignoris omnino retineri potest. *l. creditoris 15. § 2. ff. de furtis. vid. post alios. Riem. dec. 9. q 9.*

Th. XVII. De concursu denique Actionis commodati cum actione furti, & Legis Aquiliæ. *vid. §. 16. Instit. de obligat. quæ ex delicto nasc. & l. 18. §. ff. commodati.*

Corol-

1845.

Corollaria.

I.

Dignitas Electoralis ad primogenitum Electoris Filium legitimum & Laicum pertinet ex disposition Aureæ Bullæ tit. 7. Sive is Patre jam Electore, sive eodem nondum ad Electoratum evecto natus fuerit: quale exemplum illustre Serenissima Domus Saxonica superioribus annis prodidit.

II.

Jus hoc primogenituræ & dependens ex eo Electoralis dignitas adeo radicatur in Linea primogeniti: ut ejusdem Nepos filio Electoris secundogenito præferatur.

III.

Neque Patri per Testamentum Primogenito, vel ejus nepoti Filium alterum præferre integrum est, nisi consentiat ille: Quod fecit quondam Joannes primogenitus Friderici Electoris Brandeburgici; Patri, Filium secundogenitum Fridericum præferenti consentiens. Aliàs Jacobæam ordinare primogenituram secta temporum nostrorum non patitur: ut quidam ait.

1814.

IV.

Ipsum hoc jus primogenituræ, & justa ratione inductum, & in aliis quoq; Ducatibus obtinet, nisi pacta specialia in contrarium extent.

V.

Legitimati per subsequens Matrimonium æquè ac ab initio legitimè nati succedunt in feudo, licet concessum fuerit. Vor sich / und seine Ehelichgebohrne Leibes Lehns Erben.

NOn te PISTORI malè sana licentia morum,
Nec vel divitiæ, vel quoq; delitiæ
Allexêre almæ fidei, nostræq; cohorti,
Quæ Christum sanctè sola sequuta caput.
Restat, ut ex nostro dum vivis in ordine præstes,
Quæ sunt Ordinis: hinc sedulitate pia.
Impendis studiis operam curamq; fidelem,
Testatur specimen, publica fama docet.
Perge velut pergis, PISTORI, sit tibi curæ
Relligio inprimis, cura dedisse fidem,
Cui tibi prima fuit; post altera subsequa cœpti
JURIS sit studii Relligiosus amor.
Commoda sic referes, Voveo Tibi, plura, prioris
Quam damnata tulit carnificina status.

Abraham Calovius D. P. P.
Consist. Eccles Assessor, Circuli Elect.
Superintendens.

1815.

PISTORI, *patriam terram, mores q; fidem q;*
Deseris, atque alio quæris in orbe locum:
Huc ades, & nostras hospes concede sub oras,
Hîc patria, hîc nævis intemerata fides.

Johannes Meisnerus, SS. Theol.
D. & Prof. Publ.

PISTORI, postquam te cœco surripis orbi
Arrident votis, omnia cæpta tuis
En te prosequitur Doctorum turba Virorum,
En tibi Saxonici Principis aura favet.
Ipsa tuos quoq; Diva Themis nunc promovet ausus
Ad sua te haud temere templa venire jubens
Perge modo, egregiè legum sacraria pulsa
Justitiæ Præses non simulatus eris.

Henricus Coselius,
J.U.D.P.P.

TE, quem Papales per tempora plura tenebræ
Figmenta & sancti detinuêre patris:
Nunc tandem ducit cœlestis gratia, ovile ut
Ingrediens Christi, dogmata pura probas.
Hanc tibi, PISTORI, congrator, & illius opto
Sit totâ præsens auctio magna die:
Crescat vera fides in te, tolerantia crescat
Sinceraq; colas relligione, Deum,

Qui

Qui tibi prospiciet certò, de munere quodam,
Quo vitam possis hîc agitare tuam.

M. Christianus Bilefeldt Lub.
Coll. Phil. Adj.

JOHANNES CHRISTOPHORUS PISTORIUS

ἀναγραμματισμὸς

PRO HIS JESUS CHRISTUS PONAT HONORI!

ἐξήγησις:

Pro ausibus his Jesus Christus TE ponat Honori!

ita

Perquam officiosè & perquam amanter gratulabatur atq; fovebat Dn. Fautori suo dilecto

M. Zacharias Kalinckius,
Rohnberga-Liptо-Wien-Hungarus.

00 A 6414

ULB Halle 3
002 928 094

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-628605-p0019-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-628605-p0020-9

DISPUTATIO JURIDICA

De

CONTRACTU COMMODATI,

Quam

AUSPICIO DIVINÆ MAJESTATIS

Authoritate & Consensu

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi JCtorum Ordinis in celeberrima ac florentissima Wittenbergensi Academia

SUB PRÆSIDIO

Prænobilis, Amplissimi, Excellentissimi & Jurisconsultissimi Viri

DN. GOTTFRIDI SUEVI,

J. U. D. & P. P. Celeberrimi, Curiæ Electoralis, Facultatis Juridicæ, ut & Scabinatus Assessoris gravissimi, Patroni ac Fautoris sui summa semper animi observantia devenerandi

Strenuis LL. Cultoribus examinandam publicè proponit

AUTOR

JOANNES CHRISTOPHORUS PISTORIUS,

Dinckelspülensis Svevus.

Ad diem Junii

In Auditorio JCtorum

WITTEBERGÆ

Literis exscribebat Johannes Röhnerus, Acad. Typogr.

M. DC. LII.

64

XXXIX

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-628605-p0021-5